

INDEX CAPITUM.

- CAPUT I** INSCITA de Latinitate Vincentii expostulatio. pag. 265
- II.** 1. Controversia status. 2. Vincentii prævaricatio, & dogmaticam præcipue notanda capitula quinque de libertate hominis ex eodem. 266
- III.** Liberi arbitrii ratio constituta ex Peripatetica philosophia decretis à S. Thoma præsertim explicatis in Summa Theologica. Præcipue notanda capitula quinque de libertate hominis ex eodem. 267
- IV.** 1. Eadem ratio libera voluntatis ex Aristotele probatur, tum Nemesio, Joanne Damasceno. 2. Pelagianos rectè de illa sentientes probatur Augustinus. 4. Suffragatur & communi doctrinæ Michael Baius. 268
- V.** 1. Fucus Vincentii theriacopola in libertatis vocabulo. 2. Hujus vocis ambigua notio, ac vera libertatis proprietates expostita. 3. Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam usurpandum, cujus nota aliquot ex S. Thoma præscripta. 4. Meritum non aliunde oriri, quàm ex usu liberi arbitrii. 5. Itæque laudem, & vituperium. 269
- VI.** 1. Vincentiana de libertate contra superiorem S. Thomæ doctrinam disputatio. 2. Eiusdem falsa interpretatio S. Thomæ. 3. Refellitur ex eodem S. Thoma. 4. De libero arbitrio rata est questio, non de voluntate. In illo vera, & formalis est libertas, non in quavis motione voluntatis: quod liberius declaratur. 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtute comineatur libera electio. 270
- VII.** 1. Liberi arbitrii essentia perperam ab Vincentio definita. 2. Quæ refutatur. Imperium in quo situm sit. 3. Quomodo voluntas movere se dicitur. 4. Voluntatem sibi non imperare propriè. 271
- VIII.** 1. Absurda conjectura Vincentiana doctrina. 2. Ex ea sequi omnem voluntatis actionem esse liberam, etiam in amentibus & parvulis. 272
- IX.** 1. De necessitate opinio S. Thomæ. 2. Huic contrariam tenet Vincentius, quæ omnem necessitatem arbitrio libero adversam vocat coactionem; adeoque duplicem constituit, sed perplexè, & obscurè. 3. Diluitur Vincentiana sententia cavillatio. 5. Male ab eo necessitas cogens explicatur. 6. Et refellitur ex iisdem, quos citat, auctoribus. 273
- X.** 1. Insignis Vincentii error in quodam S. Thomæ loco usurpando. 2. Qui quidem exponitur. 3. Et ostenditur nihil ad causam Vincentii pertinere. 4. Cujusmodi necessitatis genera ibidem declarantur. 274
- XI.** 1. Quid inter brutorum appetitum, & hominis libertatem intersit. 2. Quod ex S. Thoma declaratur. 3. Tum illustratur ex Hierocle Pythagoreo. 4. Quid distet ab eodem appetitu brutorum, hominis voluntas non liberè agens, sed necessariò. 275
- XII.** 1. Vincentii astus in explicando discrimine necessitatis, qua bruta feruntur, & parvulorum, aut amentium. 2. Frustra ex imperatrice vi voluntatis ab illo peti, qua nulla circa necessaria sit. 3. Pecudum, maximeque asinorum petitum ab Vincentio testimonium eluditur. 5. Ludicrum ejusdem dogma. 276
- XIII.** 1. Cyrillus Hierosolymitanus perperam appellatus à Vincentio. 2. Ovis exemplo libertatis ac meriti rationem explicat. Et ludicra Vincentii opinio de brutorum appetitu. 3. Qui circa finem ultimum clarè cognitum liberè ferri voluntatem, falso putat, & laudem etiam inde promoveri. 4. Sed in laudis ambigua significatione cavillatur. 277
- XIV.** Ex Vincentii opinione sequi Spiritum S. produci à Deo liberè, & ex arbitrio libero. Ex quo horrenda blasphemiam sequuntur. 278
- XV.** 1. Vincentium frustra Patrum testimonia cumulasse ad opinionis suæ faciendam fidem. Ex iis nihil ab illo effici. 2. Voluntarium sæpè pro libero ab auctoribus usurpari, & voluntatem pro libero arbitrio. 3. Vincentium liberta-

- tem ita describere, ut non cuiquamque voluntatis actioni, sed ei, quæ est liberi arbitrii propria, tantummodo conveniat. 4. Eiusdem desultoria levitas, qui aliàs liberum arbitrium cum simplici voluntate confundit, aliàs separat. Questionem hic esse de solo arbitrio libero. 5. Quomodo pacificari controversia ista debeat. 279
- XVI.** 1. Ridicula Vincentii jactantia. Voluntarium, & spontaneum sæpè pro libero sumitur. Damasceni locus ab eodem contra se productus. 2. Quo liberi arbitrii propria ratio continetur. 280
- XVII.** 1. Vincentii falsa definitio libertatis. 2. nata ex inscitia Latine vocis imperiti. 3. Eiusdem de actu reflexo voluntatis fabula. ibid.
- XVIII.** 1. Aristotelis locus perperam intellectus, & expostus à Vincentio. 2. Nec non Damasceni. Cui laus propriè conveniat. 281
- XIX.** 1. Questio ab Vincentio commota, utrum voluntas quo se instanti movet, duplex judicium propositum habeat. 2. Respondetur re unicuique, virtute esse duplex: quantum eligibile est quod offertur voluntati, adeoque utile, & contingens, non necessarium. 3. De indifferentia voluntatis: in qua frustra consistit Vincentius. 282
- XX.** 1. De locis Scripturæ, quibus liberi arbitrii descriptio continetur. 2. Vincentii stropa in eo loco, qui est Genes. quarto. 3. Nec non in altero, Ecclesiastici decimo-quinto. 4. Cujus falsa interpretatio refellitur, qua testimonium illud, & alia similia refert ad statum innocentia. 5. Quod ex ipsa orationis serie redarguitur. 6. Tum ex Veterum consensu. ibid.
- XXI.** 1. Colligitur ex superiori disputatione, essentialem libertatem postam esse in indifferentia, sive potestate utriusque. 2. Quod ex variis illius descriptionibus, & vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium expriment, ostenditur. 3. Tum ex Scriptura. 284
- XXII.** 1. Expenditur Augustini locus ex libro de Correctione, & gratia ab Armacanis objici solitus, in quo de auxilio sine quo non, & quo agimus, disertè. 2. De sola perseverantia gratia ipsi Augustinum loqui. 3. Qualis ea fuerit Adamo concessa. 4. Cujusmodi sit ea, quæ per Christum conceditur. ibid.
- XXIII.** 1. Pergitur in illustrando loco illo S. Augustini. 2. Non pertinere ad quamcumque Christi gratiam. 3. Qui differat Christi gratia ab ea, quæ data est Adamo: ac primum exponitur cujusmodi hæc fuerit: tum qualis Christi meritis parta. 286
- XXIV.** Errata Vincentii deinceps collecta per satiram. 1. Possibilitatis gratiam negat esse gratiam Christi, idque ipsum refellitur. 2. Eiusdem mendax calumnia de Molina, Lessio. 3. Et de Petavio. ibid.
- XXV.** 1. Vincentii error, & falsa interpretatio loci ejusdem Augustini de Correctione & gratia, & aliorum in quibus de auxilio sine quo non & quo agitur; tum de possibilitate. 2. Possibilitatem rectè agendi, gratiam esse, negat Vincentius: idque refellitur. 3. Idem gratiam primi hominis naturalitatis aliquid habuisse dicit. 4. Quod in Michaële Baio damnatur. 287
- XXVI.** Falsa argumentatio Vincentii diluitur, quam contra Catholicos instruit, de gratia Adamo data, & Christi meritis parta. 288
- XXVII.** Non omne peccatum esse culpam, ac quid inter ambo hæc intersit: quod ex S. Thoma, tum S. Augustini auctoritate comprobatur. 289
- XXVIII.** 1. Vincentii & Armacane sæta falsa opinio; in eo etiam, quod necesse est, & vitari non potest, adultos homines esse culpabiles. 2. De gratia sufficiente, quæ aliquot Augustini testimoniis adstruitur. ibid.
- XXIX.** Epilogus, in quo querela Vincentii Lenis occurrunt de asperitate Petavianæ stili. 290

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU,

De Adjutorii sine quo non, & Adjutorii quo, verâ germanâque notione, ab Iprensibus præstigiis vindicata,

BREVIS DISSERTATIO,

In qua novæ sectæ fundamentum penitus evertitur.

Ad Illustrissimum quemdam Præsulem.

CAPUTI.

Exponitur præsentis disputationis occasio, & questio ipsa constituitur.

QUÆSISTI nuper à me, (PRÆSUL ILLUSTRIS-
SISIME) quid de novo illo, & latius propagato dogmate sentirem, quod ab auctore Janzenio, Janzeniano appellari meruit. Huic Inquisitioni tuæ cum ita respondissem, falsum mihi statim, & unum excepisti, quod ab illis jactari vulgo solet: qualem tandem illud est, Augustinianum esse, nec esse verisimile, dogmæ tantum hæreticum fuisse. Illud unum verò, ad illius purgandam invidiam satis esse debere, quod pro certo traditum sit ab Augustino: nec enim non Catholicum judicari oportere, quod absque dubio constat auctore ab illo proditum fuisse. Hic verò, cum seposita illius auctoritate, quæ de illo, rogante te, placuisset, negarèque ab Augustino, tale aliquid mandatum esse litteris, & ut periculum rei istius inter nos fieret, etiam atque etiam postularè, & quem præcipuum haberent fundum illius decreti, proferre te jubere; non impigre occurrerit sic: cum essent plurima, quæ ad fulciendam hanc opinionem identidem ex Augustino testimonio depremerent, unum præ ceteris usurpare quasi decretorium. Sciscitante verò me statim equoquod illud esset, nec interposita mora, illum dixisti esse locum, qui in libro de correptione & gratia, capite xi, & xii legitur; ubi Augustinum Janzenius duo gratiæ genera, sive auxilia ad bene agendum, genera duo constituit: unum, quod vocat auxilium sine quo non; alterum, auxilium quo: ac prius ejusmodi esse, ut absque eo nihil agere possimus, quamvis cum eo non semper agamus. Quemadmodum cibus ejusmodi est ut sine illo vivere nequeamus, quamvis cum eo & eo adhibito, non semper vivamus. Alterum, quod auxilium quo nominat, tale est, ut neque sine ipso agere possimus, & cum ipso semper ac necessariò agamus. Verba Augustini hæc sunt ex capite 12. libri de correptione & gratia. Aliud est, inquit, adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit; nam sine alimentis non possunt vivere, nec tamen dum afferuntur alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim, non solum sine quo non fit, sed etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adju-

torium, & quo fit est, & sine quo non fit: quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit: alimenta verò non conferuntur facilius, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere.

Quibus positis subjicit id Augustinus, cujus gratiâ comparationem illam in medium adduxerat: ac primo homini datum esse dicit adjutorium perseverantiæ, quale ciborum illud erat ad vitam conservandam, nempe, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Huic auxilii generi alterum opponit sic; Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non solum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum, non nisi perseverantes sint.

Hic ille locus est Augustini, quod unicum Janzenianum commentum firmamentum ac præsidium est. Nam ex eo duplex gratiæ genus constituit, quorum prius est quod naturæ sanæ proprium fuit, quale in solo Adamo existit, antequam peccaret: Posterius, quod naturæ lapsæ congruit, ac medicinale dicitur. Inter qua duo, discrimen illud statuit; quod prius adjutorium (verba sunt Janzenii) ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii, perinde atque voluntatis in opus, ab ipso libera voluntatis usu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia. Nunc verò post ruinam tale est, ut faciat annuere & influere & velle voluntatem. Quod discrimen ita declarat; Nam aliud, inquit, ejusmodi est, sine quo voluntas velle non possit, sic tamen, ut velle & nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio: aliud quo fit determinatè ut voluntas velit; est enim illius naturæ, ut hoc ipso, quo voluntati datur, consentit velit. Primi generis in exemplum afferit, lucem respectu oculorum, speciem respectu intellectus; sic enim adjuro, ut sine illis quidem non possit opus fieri, non tamen illis presentibus efficiatur ut fiat, sed hoc à libera voluntatis manu pendet, quæ hujusmodi adjutorium & in usum assumere, & negligere potest. Secundi generis adjutorium non est tale, sed hoc ipsum quod suapte efficaciam facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitrio subjacet, sed involvè facit, ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit. Talis est influxus omnis causæ formalis. Hoc ipso quippe, quo adest justitia, fit justus animus, & sine illa justus esse nunquam potest.

Hæc summa est Janzenianæ ratiocinationis, quam ego falsam & ineptam, & homine indignam erudito esse contendo: quod deinceps ita planum faciam; ut si quid in illis ingenui pudoris est, eo frontem illorum ac vultum oppleri necesse sit. Hoc igitur agamus.

CAPUT II.

In quo falsa Jansenii argumentatio convincitur.

UNDE igitur convinci ac redargui tantus error commo- dius, apertiusque potest, quam si Augustini verba & sententias cum Jansenii verbis sententisque conferamus? Age vero, duo colligit Jansenius, ad idem opus præstandum, adjutoria, sive auxilia gratiæ. Hæc qui audit, quid aliud cogitare potest, quam causas duas efficientes ejusdem operis & effectus? At in Augustini verbis non duæ causæ efficientes conferuntur inter se, sed altera dumtaxat efficiens, altera formalis: quod subinde declarabitur. Deinde Augustinus non de uno genere gratiæ loquitur, sed de uno dumtaxat dono perseverantiæ: siquidem in duobus illis capitibus de sola perseverantiâ disputat, eamque distinguit duplicem; alteram quæ Adamo tributa est, quando serpenti & conjugis suæ pulsatus illecebris, à Deo adjutus est, ut contra illas perseverare (si vellet) posset. Alteram, quæ prædestinati post Adami culpam peculiari Dei favore & gratiâ, perseverantes fiunt.

Inter hæc verò perseverantiæ genera duo, notanda etiam atque etiam hæc differentia; quòd prior, meram habuit Dei opitulantis efficientiam, qua efficienter Adamo qualemcunque motum ingenerabat gratiæ, ut externis tentamentis resisteret. Posterior autem genus electorum proprium, nullam esse sefe realem & positivam (ut vocant) Dei adjutantis effectiorem requirit, sed potest sine ulla tum Dei, tum hominis actione consistere. Quæ res, quia permagni momenti est, intentum lectorum desiderat. Sciendum est itaque, perseverantiâ, si generatim definiatur, hoc unum postulare, ut sit homo in statu gratiæ sanctificantis, & ut in eo statu mors illum occupet, quod in parvulis post Baptismum statim è vita subtractis manifestè cernitur: De quibus liber * Sapientiæ, in famoso illo, & ab Augustino libenter usurpato loco; *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*; merito potest intelligi. Quis autem sine perseverantiæ dono salutem adeptos illos fuisse dicere audeat? & iidem tamen actualis (ut vocant) gratiæ, funditus expertes fuerunt. Ergo illorum perseverantiâ nihil habuit præter statum gratiæ & amicitia Dei, & mortem inter se supervenientem. Quæ cum ita sint, duplex nobis discernendum est perseverantiæ donum; unum quod *passivum* appellare possumus, in quo de suo nihil homo confert, ut in parvulis evenit, aut iis, qui cum justis sanctique sint, sine ullo certamine, nec opinatè moriuntur: alterum genus est quod actuosum & laboriosum merito vocetur, quale in Martyribus fuit, qui in agone ipso invictè perfluerunt, quibusque continuo & sine cessatione actuale Dei auxilium, quæ propriè gratiæ est, adspiravit ad extremum usque spiritum. De hoc secundo genere potissimum agit Augustinus, in illo loco de correptione & gratiâ. Comparat enim perseverandi donum fortissimis illis athletis, ad perferendos, & superandos dirissimos illos cruciatus à Deo subministratum, cum illo, quod Adamo tributum est, in levissimo illo agone, in quo cum blandimento conjugis, ac mollibus illecebris certamen habuit: quorum exitus ita inter se comparat, Adami quidem, his verbis. * Denique ille Adam, & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. De Martyribus verò sic: *Isti autem, non dico terrente mundo, sed sevientè ne starent, steterunt in fide, cum videret ille bona presentia, quæ fuerat relictaurus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent.* Quocirca confert donum illud perseverantiæ, quo Martyres, ut re ipsa perseverarent, adepti sunt, cum eo, quo accepto, Adamus perseverare potuit, quando ab uxore ad violandum Dei mandatum impulsus est: nec tamen re ipsa perseveravit; cum hoc (inquam) solo Adami confictu, confert Martyrum certamen, & horum perseverantiâ ultimam, cum temporaria illa, cujus tum obtinendæ potestatem Adamus habuit. Non enim mentionem facit perseverantiæ (ut vocant) finalis Adami, quam post peccatum, per penitentiam ex meritis Christi consequutus est: nec illius quam ex propria

* Sep. 4. 11.

* cap. 12. de cor. rept.

merito voluntatis, ut idem loquitur Augustinus; obtinisset, si in accepta justitia originali permanisset.

CAPUT III.

Multis aliis rationibus falsa novi Dogmatistæ eliditur opinio, & vera Augustiniani loci sententia comprobatur.

QUÆ hucusque de Augustini loco illo, & præposita Dogmatistæ novi interpretatione disputavimus, plus satis idonea sunt, ad novi commenti coarguendam falsitatem, cujus auctor ita cæcus fuit, ut manifestam & coruscantem oculis mentis lucem Augustini verborum proflus non videret. Quam ut pressius hoc in capite constringamus, vel hoc unum considerari volo; quod Augustinus secundum gratiæ genus, quod natura lapsæ proprium est, nihil aliud esse vult præter causam formalem, hoc est formam ipsam, qua subiectum tale est ac nominatur. Assert enim in illius exemplum beatitudinem ipsam, non quæ beatitudinem efficit in homine, sed quæ beatus est. Neque enim causa formalis, sive forma, à qua tale quidpiam nominatur, se ipsam producit, sed applicat se, & nullo alio superaddito, tamquam effectu suo, subiectum tale constituit ac denominat. Quemadmodum iustitia non producit in homine iustitiam, tamquam formalem effectum suum à se diversum, sed est ipsamet forma, qua subiectum afficitur & formatur, appellaturque iustum. At Jansenius secundum gratiæ genus, quod est nature lapsæ, sic explicat, ut effectum realiter à causa distinguat. Ait enim, * *secundi generis adjutorium non est tale, sed hoc ipso quo datur, simul usus ejus, & influxus potestatis datur.* Est enim hoc ipsum, quod suapte efficacia facit influere facultatem. Ubi perspicuum est, adjutorium illud gratiæ, ab effectu suo re ipsa differre. Si quidem ait, hoc adjutorium facere influere facultatem: ex quo necessario consequens est, idem illud adjutorium, non esse influxum facultatis ejus opinione illum. Quis enim adeo desipiat, ut adjutorium illud, quod à Deo datur, & nature vires excedit, vitalis actio sit voluntatis, hoc est, influxus ipsius, quem idem donum efficit? An verò beatitudo formalis, quæ sancti beati sunt, facultatem illam animi, quæ beatitudinis subiectum est, facit influere, ut beatitudinem ipsam producat? Nonne eo ipso, quo beatitudo formalis & actualis (nec enim formalis ulla esse potest, quæ non sit actualis) in anima est beati, beatus est? Quomodo igitur adjutorium illud, si est gratiæ nature lapsæ, consensum efficere potest, si est causa formalis, qua consentimus? aut quomodo suapte efficacia facit influere facultatem, & utique consentire; cum causa formalis consentientis voluntatis, sit ipsa consensio, quam Jansenius ait, post applicationem adjutorii illius à facultate produci. Quis hunc nodum Oedipus dissolvat? aut quis non pugnantem secum, & in seipsam incurrentem incitiam, temeritatè que cognoscat?

Rursus Sole coruscante meridiano clarius est, Augustinum in illo loco, non de quolibet adjutorio gratiæ, quo natura lapsa jvatut ad bene operandum, sed de illo solo verba facere, quo re ipsa & actu perseverat, hoc est de perseverantiâ ipsa, cui hoc essentiale est, ut mortem conjunctionem habeat. Unde si rectè cogitare volumus, perseverantiâ complexum aliquid est ex positivo & negativo, sive privativo. Ita enim nec aliter, perseverandi, sive perseverantis hominis justis causa formalis est, quam si utrumque concurrat, nimirum positivum unum, hoc est status gratiæ, & alterum privativum, quod in morte consistit. sic utrumque perseverantiâ est, & perseverantis hominis causa formalis, sicut beatitudo beati, & justitia justis.

Ex quo magis intelligitur novi Dogmatistæ absurda ratio, quæ adjutorium illud, quod ab Augustino commemoratur, ad cujus notionem & essentiam vitæ privatio pertinet, & quod solis electis convenit, ad omnia gratiæ actualis & efficacis auxilia pertinere contendit. Quo concessio, jam nulla novi Testamenti gratiæ esset, nisi quæ mortem habet adjunctam, quod incredibile est absurdum.

At expostio à nobis allata plana est, facilis est, omnis est obscuritatis & ambiguitatis expertis. Hinc enim agnoscimus, quorsum Augustinus dixerit, tale esse donum

num istud, quo non tantum perseverare possunt homines, sed etiam non nisi perseverantes sint; quoniam cum donatur adjutorium istud, perseverantiâ ipsa donatur.

Unum superest hoc in loco considerandum, utrumque illud gratiæ genus, adjutorium ab Augustino esse nominatum; cum tamen, si propriè ac præcisè loqui velimus, adjutorii vox, causæ dumtaxat efficientis significationem habeat: quippe adjutorium est, quo ad agendum, vel aliquid consequendum adjuvamur; at causa formalis non est adjutorium ejusmodi, sed est forma ipsa, quæ beati efficiuntur; sicut beatitudo non adjuvat nos, ut beati simus, sed est forma ipsa, quæ beati sumus. Nihilominus ita loquitur, & loqui voluit, ut eodem vocabulo generis unius, duas doni perseverantiæ species comprehenderet. Quid autem in vocabulo hæsitare attinet, si res ipsa & mens Augustini perspicua sit?

Ad hæc omnia, quæ de loci illius Augustini enarratione, deque sinistra novi Dogmatistæ sententiâ hucusque disputavimus, postremum hoc adjungi debet, voces illas, *adjutorium sine quo non*, & *adjutorium quo*, etiam alio in loco, eoque unico, eodem ab Augustino usurpatis fuisse, sed longè alio sensu ab eo quem illis subicit Jansenius: nempe in libro de gestis Pelagii capite primo: ubi adjutoria sine quibus, ejusmodi esse dicit, *Sine quibus illud ad quod adjuvantur, ut etiam desunt, possunt alio modo fieri propter quod exquirimus: sicut tribula ad fruges terendas: pædagogus ad puerum invencendum, &c.* Hæc Augustinus, in quibus auxilium quo contrario sensu accipit ac novus Dogmatista, longèque abest, ut tale illud esse velit, quod rem omnino conficit, & ita quidem, ut sine eo re ipsa non fiat.

CAPUT IV.

Explicatur ac dissolvitur quod pro novi Dogmatistæ sententiâ, & Augustiniani ab eodem allati loci interpretatio potest obijci: tum operis totius conclusio.

SED ne quid in illo Augustini loco latebræ relinquam novi Dogmatistæ sententiæ, quod unicum causari fautores illius scèta posse video, quantumvis leve sit, nolo prætermittere. Contra hoc igitur, quod injuriâ facile illum argui, ut quod Augustinus de sola perseverantiâ, & ei subjunctâ morte scripsit, id illum ad omnem actualem ut vocant, & excitantem gratiam transfusisse, quæ animus pulsatur à Deo, ut velit, agatve bene, etiam citra mortem; adversus hoc igitur à nobis obijciendum, præscribere sic argumentarique possunt, Augustinum de eo perseverantiæ genere illic agere, quod actuosum & laboriosum supra nominavi, quale in Martyribus fuisse docui. Hanc ergo gratiam, qua illorum mentes corroboratæ sunt, ad acerbissimos illos cruciatus pro Christi nomine tolerandos, & vincendos, talem in eis efficientiam habuisse, possunt illi dicere, ut invictâ quadam necessitate, consensum ab illis exprimeret, sublatâ libertatis indifferentiâ ad consentiendum vel dissentiendum: atque hoc efficacitatis gratiæ medicinalis exemplum, sic in Martyribus Augustinum attulisse, ut ad cetera etiam adjutoria gratiæ vellet extendere. Potest hoc, inquam, ad adversariis utcumque proferri. Verum hæc tergiversatio proflus est fictilis, neque cum Augustini verbis conciliari potest. Imprimis enim mera hæc est Jansenii divinatio, sic Augustinum pro arbitrio interpretantis, & ex interpretatione sua, tamquam ex liquida, & concepta illius auctoritate, inventum suum adducens. Atqui ad novi Dogmatistæ, tamquam Augustiniani, constituendam fidem, differas Augustini voces proferte opus erit: non eo uti argumentationis suæ medio (ut vocant) quod & ipsum maxime probationis egeret. Hoc enim est Tuscum litigium, ut idem loquitur Augustinus, cum lis lite resolvitur. Quocirca, quod Augustinum asserit perseverantiâ sibi commemorasse, tamquam unam aliquam generis speciem, ut, quod de ea diceret, referri vellet

ad reliquas species sub eodem gratiæ nomine, ac genere comprehensas, hoc (inquam) gratis confictum; falsumque esse defendimus: negamus de omni actuale gratiâ loqui istic Augustinum; sed de una tantum agere perseverantiâ dicimus: quod ex toto contextu orationis perspicue colligitur. Nam & ad explicandum, ejusmodi gratiam intelligat, beatitudinis utitur exemplo: ut quemadmodum qui beatitudinem accipit, eo ipso fit beatus, non quod beatitudo aliquid in eo agat & efficiat, etiam necessariò, & citra indifferentiam, quo fiat beatus; ita, qui donum illud accipit perseverantiæ, eo ipso perseverans fit, & nihil aliud nisi perseverans, non quia gratiâ illa perseverantiæ, perseverantiâ in illo efficit, sed quia perseverantiâ est. Deinde qui tergiversatione illâ uti velit, duo necesse est in dono perseverantiæ illic ab Augustino distingui asserat; unum, quod est perseverantiâ ipsa formalis; alterum, quod est actuale auxilium gratiæ ad perseverandum martyrium. De priori nulla controversia est, quin necessariò perseverantem faciat. Itaque totum in eo vertitur negotium, ut novi Dogmatistæ non illud assumant, sed probent ac demonstrent, in illo loco Augustini, quem fundamenti loco novitati suæ substruunt, affirmari adjutorium illud actualis gratiæ, quo voluntas eorum adjuncta & roborata est, ut tormentis resisterent, eidem voluntati necessitatem arduis, indifferentiam admissis, adeo ut in eorum potestate non esset, gratiæ illi resistere; hoc, inquam, evincendum illis fuit ex Augustini verbis, ut inde quod volunt efficiant: quod quia nullo modo facere possunt, definant pro Augustiniano jactare frivolum, & alienum à Catholica regula commentum novæ opinionis & hæreticæ.

Hæc mihi (PRÆSUL ILLUSTRISSIME) de exorta inter nos questione proponenda videbantur: quæ ut est ingenii tui acumen & candor, facile me tibi probaturum esse confido; atque ita quidem, ut majorem in modum obstupescas, tantam repente vim è doctorum subfelliis huic infusæ fabulæ plausorum & fautorum existitisse. Circumspiciat enim animo, & expandat apud se prudens ac sobrius quisque, quantos decem abhinc annis motus ac tumultus in Christiana republica novitas illa concitarit: ut in Catholica parte recens sit constituta scèta, & hominum corroborata studiis, Ecclesiasticam unitatem & concordiam, fœdissimo diffidio confecerit: ut pro vetere ac recepta Catholicos inter doctrinæ professione, nova sit & contraria fides introducta; nec alia planè, quantumvis dissimulet ac latere studeat, quam quæ in Luthero & Calvino, ceterisque pestibus damnata, & sub anathematis pena proscripita fuerat. Sed ut de damnatione, ac scelere recentis istius perfidie nihil modò dicamus, & in solam ejus novitatem intendamus animos: certè rationi consentaneum illud fuit; ut qui Catholicum veterem omne ed institueret adducere, ut mutata & ejurata nomi de gratiâ persuasione, novam acciperet, ex Augustini libris accertitam (quandoquidem bene de gratiâ loquendi ac sentiendi unica hæc & certissima regula proponitur) certam & liquidam, ac minimè dubiam & accipitem Augustini mentem in medium asserret; ut sine ulla controversiâ, qui Augustini verba legeret, statim illam agnosceret. Atqui hujusmodi est novum illud Dogma, quod pro vetere profitendum induxit Ecclesiæ Catholicæ novæ artifex scèta Jansenius; ut in Augustini libris nullo modo sit expressum, sed solâ divinatione & opinione illius ascriptum. Quod hæcenus in uno Augustini loco perspicue declaravimus, quem tanti ille fecit, ac toties inculcavit, nullum ut aliud firmamentum novæ suæ sententiæ substruxisse videatur; hunc certè panè ducenties in opere suo repetiit, quod quidem ab Calvino didicit, qui in Antidoto contra Concilium Tridentinum, ad eandem, velut Tridentinis decretis adversariam doctrinam affirmandam, opposuit; quod ejusdem postea sectatores impigrè fecerunt. Quamobrem, ut eo revertar, quod dicere institueram, & huic dissertationi clausulam apponam; satis mirum & miseratione dignum est; Catholicos homines, spretâ vetere doctrinâ, novam istam tamquam Augustinianam repente esse complexos, ac sibi tam luculentè imponi passos esse; ut pro Augustiniano id arripent, quod nusquam ab Augustino vel levissimè usurpatum, sola illi externi hominis, nec valde docti, libido ac temeritas affinxit.

F I N I S.

Pp

DIONYS.

Part III.